

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
AUTHENTICE INTERPRETANDO

COMMUNICATI

VOL. XIX - N. 1

1987

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS
CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

N. 1

Semestrale

IUNIO 1987

Spediz. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Allocutio Summi Pontificis ad Praelatos Auditores, Administros Advocatosque Rotae Romanae coram admissos	3
---	---

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI	
Ex Instructione « <i>Il rispetto della vita umana nascente e la dignità della procreazione</i> »	9

CONGREGATIO PRO CLERICIS

Litterae circulares ad omnes Episcoporum conferentiarum Praesides. De Canonicorum vestibus choralibus insignibusque	12
---	----

S. PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Decretum quo Indulgentiae plenariae pro Anno Mariali conceduntur	13
--	----

SUPREMUM SIGNATURAЕ APOSTOLICAE TRIBUNAL

Declaratio de recto modo procedendi in declaranda nullitate matrimoniorum successive initorum	16
---	----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studiorum recognoscendis Normis Generalibus Codicis (Sessio III)	19
II. Coetus studiorum recognoscendis Normis Generalibus Codicis (Sessio IV)	68
III. Coetus studiorum « <i>De Sacra Hierarchia</i> » (olim « <i>De Clericis</i> ») (Sessio V)	106

ACTA COMMISSIONIS

Responsa ad proposita dubia	149
Notitiae	150
Opera a Bibliotheca Commissionis recepta	151

III**COETUS STUDIORUM
« DE SACRA HIERARCHIA »
(OLIM « DE CLERICIS »)****Sessio V**

(diebus 16-21 decembris 1968 habita)


Diebus 16-21 decembris 1968, in Aula huius Pontificiae Commissionis habita est V Sessio Consultorum qui Coetum studiorum effor- mant ad recognoscendas normas « De Sacra Hierarchia ». Conventibus adfuerunt Exc.mi sex Consultores ac Rev.mi quattror Consultores una cum Rev.mo Commissionis Secretario Adiuncto, qui munere praesidis fungebatur, necnon Rev.mus Adiutor a studiis. Legitimo impedimento detenti, adunationibus adesse non valuerunt duo Consultores.

Quaestiones in hac V sessione studii pertractandae, de quibus Consultores sua vota tempestive paraverant sunt sequentes:

- 1) De Episcopis coadiutoribus et auxiliaribus;
- 2) De Vicariis generalibus et episcopalibus.

Ineunte Sessione, Rev.mus Secretarius Adiunctus e Consultoribus quaerit qui praecedenti huius Coetus sessioni adfuerunt an approbent Relationem conclusivam ipsis transmissam circa hos labores. Nemo animadversiones proponendas habet, et Relatio unanimiter approbatur.

Quaeritur etiam an aliquis animadversiones vel propositiones admovere desideret in textus canonum qui iam approbati sunt circa legislationem « De Episcopis in genere » atque « De Episcopis dioecesanis ». Quidam Consultores responsum dant affirmativum, ideoque ab hac materia incipit disceptatio.



I

RECOGNOSCUNTUR CANONES IN PRAECEDENTI SESSIONE
APPROBATI

A) DE EPISCOPIS IN GENERE

Animadversiones quae in hoc schemate fiunt sunt sequentes:

1. *Ad canonem 2*

Proponitur a Rev.mo quodam Consultore ut deleantur in § 1 verba « quod per consecrationem episcopalem receperunt », quia eadem idea iam exprimitur in initio § 2 canonis 1.

Placet animadversio.

2. *Ad canonem 4*

Exc.mus Consultor delenda esse censet, in § 2, verba « in priore plenario conventu », quae non videntur necessaria.

Huic propositioni accedunt alii Consultores, qui putant obiectum primae adunationis aliud esse posse ideoque relinquenda videtur Conferentiae Episcopali congrua libertas.

Attamen Rev.mus Secretarius Adjunctus et alii contrariam tenent sententiam, ut maior certitudo habeatur quoad adimpletionem huius officii, ne illud a Conferentia quandoque praetermittatur.

Fiunt ergo sequentes suffragationes ad quaestionem dirimendam:

1) Utrum placeat necne ut servetur textus uti est:

Placet: 4.

Non placet: 7.

2) Utrum supprimi debeant necne verba « in priore plenario conventu » (si non placet ut simpliciter deleantur alia formula inventiri debet):

Placet: 6.

Non placet: 5.

Proposito ergo Exc.mi Consultoris acceptatur a maiore parte Consultorum, et textus canonis ita manet emendatus: « ... communi consilio et secreto quotannis agant ... ».

Rev.mus Consultor quaerit, quoad § 3, num oporteat, quando agatur de Episcopo coadiutore, ut Episcopus dioecesis de qua agitur prius vel amplius audiatur quam alii Episcopi ipsius Provinciae ecclesiasticae. Coadiutor enim personae Episcopi dioecesani datur.

Obiicit tamen Rev.mus Secretarius Adiunctus cui alii accedunt Consultores, coadiutorem dari primarie in bonum dioecesis et quidem cum iure successionis. Non sunt ergo rationes ob quas via diversa adhiberi debeat ac in casu designationis Episcopi dioecesani.

Rev.mus quidam Consultor quaestionem denuo movet, quoad ipsam § 3, de nominibus candidatorum exquirendis inter presbyteros et laicos, non tantum de necessitatibus dioecesis deque dotibus specialibus personae ad officium episcopale in ea dioecesi rite adimplendum.

Propositio tamen, quae iam praecedenti Coetus sessione discussa fuit, non recipitur (alii enim Consultores sunt contrarii), propter difficultates et pericula, huic propositioni inherentia, de quibus longe disceptatur.

Exc.mus Consultor proponit, quod ab omnibus recipitur, ut in lin. 2 huius § 3 deleantur verba «vacante aliqua sede dioecesana»: sunt enim verba superflua.

Quaerit denique Rev.mus quidam Consultor quare nihil dicatur de privilegiis praesentationis vel nominationis, etc. quibus gaudent in quibusdam regionibus capitula cathedralia.

Censet Rev.mus Secretarius Adiunctus huiusmodi privilegia esse servanda ad vitandam centralizationem.

Obiicit tamen Rev.mus Consultor qui supra haec privilegia esse inutilia post normas §§ 3 et 4, quia iura particularia vel facultates speciales de quibus agitur nunc per legem generalem transeunt ad Conferentias Episcopales.

Cum tamen de ipsa existentia futura Capitulorum cathedralium dubitetur de eaque adhuc disceptandum sit, proponitur a Rev.mo Secretario Adiuncto et accipitur, ut quaestio proposita in praesenti non solvatur, sed remittatur ad aliam sessionem Coetus.

3. Ad canonem 5

Animadvertisit Exc.mus Consultor § 1 intellegi posse ac si missio canonica detur semper post consecrationem, dum dari etiam potest ante ipsam vel una cum ipsa consecratione episcopali.

Huic animadversioni alii accedunt Consultores, quapropter Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit et unanimo consensu admittitur ut textus § 1 ita emendetur:

« Episcopus officium sibi commissum assumit missione canonica, quia quidem ... ».

4. *Ad canonem 7*

Proponitur ab Exc.mo Consultore, et propositio recipitur, ut in fine canonis sequentia addantur: « et quidem antequam officii sui possessionem capiat ».

5. *Ad canonem 8*

Est Rev.mus Consultor qui proponit ut dicatur « secreti pontificii » loco « secreti S. Congregationis pro doctrina Fidei », attentis recentioribus normis Curiae Romanae. Quod accipitur.

B) DE EPISCOPIS DIOECESANIS

1. *Ad canonem 2*

Proponit Exc.mus Consultor ut § 2 canonis deleatur, quia hoc iam dictum est, per additionem ab ipso Exc.mo propositam et ab omnibus acceptatam, in can. 7 schematis « De Episcopis in genere ».

Animadversio unanimiter recipitur.

2. *Ad canones 4-8*

Fit discussio utrum normae in his canonibus contentae sint necne normae vere iuridicae, quae in Codice ponи debeant.

Exc.mus Consultor remittendas eas censet ad directoria pastoralia, dum alii Consultores obiiciunt huiusmodi normas continere plura quae characterem iuridicum habent; quaedam praeterea iam inveniuntur in actuali Codice.

His omnibus perpensis, Consultores committunt Rev.mo Secretario Adjuncto ut, servata substantia horum canonum, novas formulaciones proponat. Interdum prosequitur disceptatio de canonibus sequentibus.

3. *Ad canonem 9*

Exc.mus Consultor animadvertisit redactionem § 2 huius canonis non esse omnino claram neque prudentem: sub praetextu enim huius normae ab aliquibus limitari potest de facto, saltem coram opinione

publica, munus docendi Episcoporum etiam quando ipsi intervenire debent ad fidem christianam tuendam contra illos qui falsas doctrinas propugnant.

Huic animadversioni alii accedunt Consultores et admittitur ut Rev.mus Secretarius Adiunctus novam faciat canonis redactionem in qua ponatur in recto munus docendi Episcoporum et in obliquo quomodo se gerere debeant relate ad doctrinas de quibus theologi communiter inter se dissentunt.

4. Ad canonem 10

Animadvertisit Exc.mus Consultor quod § 1 canonis 9 et canon 10 agunt fere de eadem re; praeterea § 2 canonis 10 nimis generalis videtur.

Ad hanc postremam animadversionem Rev.mus Secretarius Adiunctus respondet normas particulares de catechetica populi christiani institutione in alia parte Codicis inveniri, ubi scilicet de Magisterio ecclesiastico agitur.

Cum his alii Consultores concordant. Decernitur tamen ut canon fiat unionis duorum canonum (9 et 10), ita ut de munere Episcopi docendi maiore unitate pertractetur.

5. Ad canonem 11

Exc.mus Consultor expostulat expunctionem verborum « quantum id proprii perfunctio muneris sinat ». Haec enim verba necessaria non videntur.

Animadversio ab aliis Consultoribus admittitur.

6. Ad canonem 12

Proponit Exc.mus Consultor ut deleantur verba « qui utpote plenitudine sacramenti Ordinis insigniti, sunt summi sacerdotes et praecipui mysteriorum Dei dispensatores ».

Obiicit tamen Rev.mus Secretarius Adiunctus haec verba fundamentum theologicum praebere normae disciplinaris quae sequitur. Hoc enim, quantum fieri possit in canonibus novi Codicis faciendum est, ut tam oppugnata « ariditas iuridica » vitetur.

Duo Consultores proponunt ut deleantur tantum verba « qui utpote plenitudine sacramenti Ordinis insigniti ».

Quod ab aliis Consultoribus admittitur, uno excepto Exc.mo Consultore, qui praefert textum uti iacet.

Proponitur denique, et accipitur, ut in fine canonis textus ita emendetur: « ... ut christifideles suae curae commissi Sacramentorum receptione in gratia crescant utque praesertim paschale mysterium penitus cognoscant et vivant ».

7. *Ad canonem 13*

Ad mentem Exc.mi cuiusdam Consultoris quae dicuntur in § 1 huius canonis iam aliquo modo exposita sunt in § 2 canonis 5.

Adiungit etiam Exc.mus Consultor, sed in hoc alii Consultores non concordant, verba « speciali cura » (§ 2) adhiberi debere quoad sollicitudinem Episcoporum pro propriis vocationibus dioecesanis.

His attentis, proponit Rev.mus Secretarius Adiunctus ut hic canon provisorie servetur uti iacet, dum de definitiva redactione canonum 4-13 denuo pertractetur.

8. *Ad canonem 14*

Exc.mus Consultor proponit ut supprimantur, quippe quae non sint necessaria, verba in fine § 1 posita: « nisi pro certis regionibus ob specialia adjuncta aliter Apostolica Sedes statuerit ».

Cum alii Consultores praeferant ut ista verba serventur, fit suffragatio cuius exitus est:

Placet suppressio proposita: 7.

Non placet: 3.

9. *Ad canonem 15*

Proponitur ab Exc.mo Consultore, et propositio accipitur, ut, in § 1, deleantur verba « quippe qui vitae liturgicae in Ecclesia sibi commissa sint moderatores, promotores atque custodes ». Textus ergo ita emendatur:

« Episcopi dioecesani invigilare debent ut vita liturgica in Ecclesia sibi commissa quam maxime foveatur ... ».

Tres Exc.mi Consultores quaerunt ut integra § 2 deleatur. Norma enim quae ibi data est non semper nec in omnibus Ecclesiis particularibus adimpleri valet.

Obiicit tamen Rev.mus Secretarius Adiunctus hanc dispositionem haberi in ipsa Constitutione « Sacrosanctum Concilium » de Sacra Liturgia.

Fit discussio de hac quaestione et denique, proponente Exc.mo quodam Consultore, approbatur sequens textus emendatio:

« Frequenter praesint in ecclesia cathedrali aliave ecclesia suae dioecesis cultui liturgico ».

10. *Ad canonem 18*

Proponit Exc.mus Consultor, quia hodie haec norma necessaria non videtur propter mutatas circumstantias, ut in § 2 deleantur verba « Sacras indulgentias ».

Propositio recipitur.

11. *Ad canonem 25*

Exc.mus Consultor delenda censem, in initio § 3, verba « tempore Adventus et Quadragesimae », ne norma nimis rigida sit.

Propositio accipitur, sed post verba « Resurrectionis Domini » ad-duntur haec verba: « et Hebdomadae Sanctae ».

12. *Ad canonem 29*

Proponitur ab Exc.mo Consultore, et recipitur, ut in initio canonis expungantur verba « sine inutilibus tamen moris », quia non sunt necessaria.

13. *Ad canonem 31*

Rev.mus Consultor ita complendum esse censem textum in fine § 2:
« ... per idoneum sacerdotem sui presbyterii ».

Propositio accipitur.

14. *Ad canonem 32*

Animadvertisit Rev.mus Secretarius Adiunctus omnes normas de praecedentia ponendas esse in aliqua Codicis appendice, iuxta sententiam Coetus studii « De personis physicis et moralibus in genere », cuius examini subiectus est can. 106 hodierni Codicis Iuris Canonici.

Etiam Consultores huius Coetus « De Sacra Hierarchia » eandem tenent sententiam; quapropter quae dicuntur in can. 32 ab hoc schemate expunguntur et ad memoratam Appendicem remittuntur.

15. *Ad canonem 34*

In § 1 ponitur « provideatur » loco « providetur », latinitatis causa.

Post expletam hanc recognitionem canonum, et iuxta deliberata a Consultoribus, sequentes novae formulae a Rev.mo Secretario Adiuncto proponuntur, ubi restricta sunt quae dicuntur in prioribus canonibus 4-13:

Canon 4 (novus)

« § 1. In exercendo suo munere pastoris, Episcopus dioecesanus sollicitum se praebeat erga omnes christifideles qui suae curae committuntur, cuiusvis sint aetatis, conditionis vel nationis, tum in territorio habitantes tum in eodem ad tempus versantes, animum intendens etiam ad eos qui ob vitae suae conditionem ordinaria parochorum cura non satis frui valent atque eos qui a religionis praxi defecerunt.

« § 2. Erga fratres seiunctos in dioecesi versantes cum humanitate et caritate semper se gerat, oecumenismum quoque, ut ab Ecclesia intelligitur, quam maxime favens (Decr. *Christus Dominus*, n. 16).

« § 3. Commendatos sibi etiam habeat non baptizatos, ut et ipsis caritas eluceat Christi, cuius coram omnibus testis esse debet Episcopus » (cf. Decr. *Christus Dominus*, n. 16).

Rev.mus quidam Consultor quaerit ut in § 1, lin. 4, post verbum « nationis » addatur « vel ritus ».

Huic animadversioni accedit Rev.mus alter Consultor, memorans in Decr. *Christus Dominus*, n. 29, mentionem factam esse de Episcopo auxiliari atque de Vicario episcopali pro fidelibus eiusdem Ritus.

Animadvertisit tamen Rev.mus Secretarius Adiunctus, et huic responsionis obiicientes accedunt, hoc dici debere ubi de Episcopis auxiliaribus et de Vicariis episcopalibus agatur. Praeterea cura pastoralis quae postulatur iam implicite continetur in verbis « etiam ad eos qui ob vitae suae conditionem ordinaria parochorum cura non satis frui valent ».

Rev.mus Consultor proponit, et propositio accipitur, ut in fine § 2 dicatur « fovens » loco « favens ».

Nulla alia fit emendatio ideoque textus cum hac sola correctione approbatur.

Canon 5 (novus)

« Peculiari sollicitudine prosequatur presbyteros suos, ad quos audiendos semper se paratum ostendat, eorum iura tutetur, et curet ut ipsi obligationes suo statui proprias rite adimpleant, atque ut ipsis praesto sint quibus ad vitam spiritualem et intellectualem fovendam

egent media et institutiones; item ut, secundum praescripta Episcoporum Conferentiae regionis, eorundem honestae sustentationi atque praevidentiae sociali prospiciatur ».

Quaerit Exc.mus Consultor utrum debeat necne mentio fieri de diaconis et non tantum de presbyteris. Ad includendos eos, et quidem etiam subdiaconos qui sunt in seminario, haec formula ab Exc.mo proponitur: « Peculiari sollicitudine prosequatur clericos suos, praesertim presbyteros ... ».

Obiicit tamen Exc.mus alter Consultores, cui et alii Consultores accedunt, necessariam non esse emendationem, quia de diaconis et subdiaconis alibi in concreto pertractandum est, dum hic agitur de peculiaribus relationibus quae intersunt inter eos clericos — Episcopos et presbyteros — qui sunt sacerdotes.

Exc.mus tertius denique Consultor laudat obligationem quae statuitur Conferentiarum Episcoporum quoad honestam sustentationem et praevidentiam socialem presbyterorum. Attamen fovendae etiam videntur initiativae, quae ratione fraternitatis sacerdotalis, in hunc finem exortae sunt vel exsurgere possunt.

Cum hac sententia Exc.mi etiam ceteri Consultores sunt concordes, sed de hac materia aptius tractandum censem ubi de iuribus et obligationibus clericorum agitur. Ibi dicendum etiam est diaconos uxoratos providere debere per seipso ad propriam sustentationem.

Nulla alia animadversio fit, ideoque textus novi canonis 5 approbatur uti iacet.

Canon 6 (novus)

« § 1. Laicorum dignitatem atque propriam quam in missione Ecclesiae habent partem agnoscat et promoveat, eos de propriis obligationibus monens atque iura quae ipsis in Ecclesia competit tueat (Decr. *Presbyterorum ordinis*, n. 9).

« § 2. Vocationes sacerdotales et religiosas quam maxime foveat, speciali cura vocationum missionalium adhibita ».

Exc.mus Consultor proponit, et accipitur, ut materia huius canonis in duos canones dividatur, quia in §§ 1 et 2 res valde inter se diversae pertractantur.

Est. Rev.mus Consultor qui proponit ut § 2 fiat can. 6, dum § 1 esset can. 7.

Fit suffragatio, et haec divisio unanimiter recipitur.

Nulla fit animadversio quoad ipsum textum canonis.

Canon 8 (novus)

« § 1. Episcopus dioecesanus, quippe qui fidelium suae curae commissorum authenticus sit fidei doctor et magister, ipsis veritates fidei credendas et moribus applicandas proponere et illustrare tenetur, per se ipse, nisi legitimo detineatur impedimento, praedicans, aliisque quae hodie praesto sunt mediis et instrumentis utens; curet etiam ut praescripta canonum de ministerio verbi, de homilia praesertim et catechetica iuvenum institutione sedulo serventur.

« § 2. Cum omnium Ecclesiarum una cum ceteris Episcopis sit sponsor, adiutricem operam praestare tenetur ut verbum Dei omnibus gentibus nuntietur (cfr. Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 23; Decr. *Christus Dominus*, nn. 6-16).

« § 3. Unitatem fidei credendae firmiter tueatur, libertatem autem in veritatibus ulterius perscrutandis agnoscens, nec quaestiones de quibus periti legitime inter se dissentient dirimens ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus animadvertisit hoc in canone agi de munere docendi Episcopi, sed quaedam tantum generali modo affirmari, quia de particularibus pertractandum est in peculiari titulo vel parte « De Magisterio ecclesiastico ».

Rev.mus quidam Consultor quaerit ut in § 1, lin. 5 deleatur verbum « hodie », quod superfluum videtur.

Animadversio recipitur.

Est alter Rev.mus Consultor qui animadvertisit saepe difficile esse, praesertim pro laicis, adaequate distinguere quando Episcopus loquitur uti doctor fidei et quando uti persona privata. Est quaestio practica, quae facile gignit confusiones inter fideles, quaeque forsitan quadam determinatione iuridica indiget.

Huic animadversioni respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus dicens memoratam distinctionem fieri ratione materiae potius quam modi. Attamen iam in canonibus ubi de Magisterio ecclesiastico agitur Episcopi monentur ut in rebus opinabilibus, praesertim politicis, ne sese immisceant.

Quoad verba « per se ipse » (§ 1, lin. 4), animadvertisit Exc.mus Consultor hoc valere pro praedicatione, sed non necesse esse ut Episcopus personaliter scripta pro ephemeridibus religiosis perficiat, neque ut personaliter doctrinam tradat per media radiophonica vel televisifica, etc..

His dictis alii quoque accedunt Consultores, ideoque textus ita

emendatur: « per se ipse frequenter praedicans, utcumque doctrinam aliis quae praesto sunt mediis et instrumentis promovens; curet ... ».

Ad mentem eiusdem Exc.mi Consultoris quod dicitur in § 2 forsan pressius urgendum esset.

Respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus hoc principium concretis determinationibus applicatum esse in canonibus ubi de incardinatione et excardinatione agitur.

Adest alter Exc.mus Consultor qui expostulat ut, in § 3, alia expressio adhibetur loco « in veritatibus ulterius perscrutandis », ne veritates obiectivae difficilius admittantur et in discrimen vocentur.

Respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus veritatem obiectivam non in discrimen vocari posse si ulterius perscrutatur.

Fit parva discussio de hac quaestione et, proponente Rev.mo quodam Consultore, admittitur ab omnibus ut initium huius § 3 ita sonet: « Integritatem et unitatem fidei ... ».

Exc.mus Consultor proponit denique ut in ipsa § 3 dicatur « auctoritative dirimens ».

Animadversio tamen non admittitur, quia — uti ait Rev.mus Secretarius Adiunctus — Episcopus non est competens ad dirimendum per se quaestiones de quibus legitime disputatur. Si sit theologus, potest utique proponere solutionem, sed non dirimere. Haec est enim causa maior quae reservatur Supremae Auctoritati Magisterii.

Canon 9 (novus)

« Episcopus dioecesanus omni ope promovere studeat sanctitatem christifidelium, secundum uniuscuiusque propriam vocationem, atque, cum sit praecipuus mysteriorum Dei dispensator, iugiter adniti tenetur ut christifideles suae curae commissi Sacramentorum receptione in gratia crescant utque praesertim paschale mysterium penitus cognoscant et vivant » (cfr. Decr. « Christus Dominus », n. 15).

Nulla fit emendatio et formula approbatur uti iacet.

II

DE EPISCOPIS COADIUTORIBUS ET AUXILIARIBUS

De his videtur agendum — ad mentem Consultorum huius Coetus — sub titulo generali « De cooperatoribus Episcopi dioecesani », quia « De Episcopis dioecesanis » agitur, uti iam approbatum fuit, sub titulo « De Ecclesiis particularibus ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus attentis his omnibus quae in votis Consultorum proponuntur, examini et deliberationi praesentium submittit sequentes formulas canonum:

Canon 1

« § 1. Ubi peculiaris dioecesis necessitas id postulet, in ipsius Episcopi dioecesani adiutorio, Episcopus coadiutor, scilicet cum iure successionis, constituatur.

« § 2. Quoties bonum dioecesis id suadeat, praesertim cum ob dioecesis amplitudinem, ob magnum incolarum numerum, ob peculiaria apostolatus adiuncta aliasve rationes, Episcopus dioecesanus per se metipsum omnia episcopalicia munia sicut animarum id exigat bonum adimplere nequeat unus vel plures Episcopis auxiliares, scilicet sine iure successionis, constituentur.

« § 3. Prout bonum animarum id exigat, ipse Episcopus dioecesanus postulet vel ut sibi detur Episcopus coadiutor, vel ut constituentur unus vel plures auxiliares ».

Rev.mus Consultor animadvertisit quod in n. 25 Decr. « Christus Dominus » aliquo modo adhuc sustinetur criterium iuxta quod Episcopi auxiliares sunt pro dioecesis necessitatibus, dum Episcopus coadiutor datur personae Episcopi dioecesani.

Respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus in initio huius numeri Decreti principium clare affirmari, nempe « bonum dominici gregis semper sit suprema ratio ». Omnes Episcopi, sive Auxiliares sint sive Coadiutores, semper donantur primario pro necessitatibus dioecesis, quamvis in casu Episcopi coadiutoris explicite invocetur etiam peculiariis necessitas adiuvandi personam Episcopi dioecesani. Distinctio fundamentalis in eo est ut Episcopus coadiutor constituitur cum iure successionis, dum Episcopus auxiliaris hoc ius numquam habet.

Est alter Rev.mus Consultor qui proponit, quia ita aptius in luce ponitur principium de necessitatibus dioecesis preeprimis consulendis, ut ordo §§ 1 et 2 formulae propositae mutetur, ita ut in § 1 de Episcopis auxiliaribus agatur.

Fit suffragatio de hac propositione et, cum ipsa unanimiter recipiatur, Rev.mus Secretarius Adiunctus hunc novum textum §§ 1 et 2 proponit:

« § 1. Cum bonum dioecesis id suadeat, si nempe ob dioecesis amplitudinem vel magnum incolarum numerum, aut ob peculiaria apostolatus adiuncta aliasve rationes, Episcopus dioecesanus per semetipsum omnia episcopalia munia, sicut animarum id exigat bonum, adimplere nequeat, unus vel plures Episcopi auxiliares, scilicet sine iure successionis, constituantur.

« § 2. Cum certis in adiunctis peculiaris dioecesis necessitas id postulet, in Episcopi dioecesani item adiutorium, Episcopus coadiutor, scilicet cum iure successionis, constituatur ».

Hic textus ab omnibus Consultoribus recipitur.

Denique Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit ut in § 3 de leantur verba « sibi detur », ne aequivoce intelligatur Episcopum coadiutorem constitui exclusive vel primarie in bonum personae Episcopi dioecesani.

His accedunt alii Consultores, et Rev.mus Secretarius Adiunctus sequentem novam redactionem § 3 approbationi submittit:

« § 3. Prout animarum bonum id exigat, ipse Episcopus dioecesanus expostulet ut constituantur unus vel plures Episcopi auxiliares, aut, si peculiaria adiuncta id requirant, Episcopus coadiutor » (Decr. *Christus Dominus*, nn. 25-26).

Facta suffragatione, textus recipitur uti emendatus est.

Canon 2

Haec est formula quae proponitur:

« § 1. Episcopus coadiutor, (qui ad normam can. 4 de Episcopis in genere nominatur), officii sui possessionem capit, cum litteras apostolicas nominationis, per se vel per procuratorem, ostenderit Episcopo dioecesano atque Capitulo cathedrali, praesente secretario eiusdem Capituli aut secretario Curiae, qui rem in acta referat.

« § 2. Episcopus auxiliaris, (qui ad normam can. 4, § 4 de Episcopis in genere nominatur), officii sui possessionem capit, cum litteras apostolicas nominationis ostenderit Episcopo dioecesano ».

Hic textus recipitur ut iacet, additis tamen in fine § 2 verbis:
« praesente secretario Curiae qui rem in acta referat ».

Canon 3

Textus propositus ita sonat:

« Episcopus coadiutor obligationes habet et iura, quae in litteris apostolicis suae constitutionis definitur; praeterea obligationes et iura habent tum Episcopus coadiutor tum Episcopus auxiliaris quae determinantur praescriptis canonum qui sequuntur ».

Rev.mus Consultor dicit sibi valde placere ut haec iura et obligationes clare determinentur. Decretum *Christus Dominus* principia optima statuit, sed expresse reliquit Commissioni nostrae modum technicum evolvendi huiusmodi principia. Haec necessitas ab Episcopis hodie speciali modo persentitur. In Brasilia — ubi sunt plures quam ducenti Episcopi dioecesani ex quibus nullus est canonista — omnes exoptant ut habeamus Codicem in quo clare determinentur specificae functiones diversorum cooperatorum Episcopi dioecesani (Episcopi auxiliaris, Episcopi coadiutoris, Vicarii generalis, Vicarii episcopalium, etc.) ne confusione vel anxietates facile oriatur.

Nulla proponitur emendatio ad textum huius canonis, qui ergo approbatur ut iacet.

Canon 4

Haec est formula proposita:

« § 1. Episcopus coadiutor et Episcopus auxiliaris, quippe qui in partem sollicitudinis Episcopi dioecesani vocati sint, munia sua ita exercent ut in omnibus negotiis gerendis unanimi consensione cum ipso procedant (Decr. *Christus Dominus*, n. 25).

« § 2. Episcopus dioecesanus, in perpendendis causis maioris momenti, praesertim indolis pastoralis, Episcopum coadiutorem et Episcopum auxiliarem consulere ne omittat » (Decr. *Christus Dominus*, n. 26).

Emendationes quae proponuntur quaeque ab omnibus approbantur sunt sequentes:

a) in § 1 dicatur « in negotiis gerendis », loco « in omnibus negotiis »;

b) in § 2 dicatur simpliciter « consulat » loco « consulere ne omittat ».

Canon 5

Textus propositus est sequens:

« § 1. Episcopus coadiutor et Episcopus auxiliaris, iusto impedimento non detenti, tenentur, quoties ab Episcopo dioecesano fuerint requisiti, pontificalia et alias functiones obire, ad quas Episcopus dioecesanus teneretur (cfr. can. 351 § 4 C.I.C.).

« § 2. Quae episcopalia iura et functiones Episcopus coadiutor aut auxiliaris potest et vult exercere, Episcopus dioecesanus habitualiter alii ne committat ».

Nulla fit animadversio, ideoque textus approbatur ut iacet.

Canon 6

Formula proposita est sequens:

« § 1. Episcopus coadiutor ab Episcopo dioecesano Vicarius generalis semper constituantur (Decr. *Christus Dominus*, n. 26).

« § 2. Nisi in litteris apostolicis aliud provisum fuerit, Episcopus dioecesanus auxiliarem vel auxiliares suos constituant Vicarios generales aut saltem Vicarios episcopales, a sua dumtaxat auctoritate dependentes » (Decr. *Christus Dominus*, n. 26).

Proponentibus Rev.mo Secretario Adiuncto et aliis, approbatur ut sequens additio fiat in fine § 1, quia Episcopo coadiutori maiores facultates tribuendae sunt quam aliis: « insuper ipsi prae aliis Episcopus dioecesanus committat quae ex iure mandatum speciale requirant ».

Quoad § 2 censem Exc.mus Consultor quod, exsistentia supposita Episcopi coadiutoris, ab illo Episcopus vel Episcopi auxiliares pendere debent.

Obiicit tamen Exc.mus alter Consultor, cui accedit adhuc et alter, confusionem oriri atque unitatem regiminis in discrimin vocari, si auxiliaris vel auxiliares a duobus personis pendeant in perfungendis propriis muneribus.

Ad mentem Rev.mi Secretarii Adiuncti ista difficultas ita vitari potest: si sint plures Vicarii generales, unus constituatur caput officii administrativi Curiae, habens ergo supremam responsabilitatem, sub Episcopo quidem dioecesano, totius activitatis administrativae in dioecesi.

Huic propositioni accedunt Consultores obiectores et alii sed admittitur ut de hoc aptius tractandum sit in canonibus de Curia dioecesana.

Card. Praeses, qui huic interest adunationi, animadvertisit difficul-

tates non paucas haberi hodie in praxi, quia Episcopi auxiliares facultates quibus uti debent plerique expostulare tenentur a Vicario generali, etiam si ipse sit presbyter.

Rev.mus Secretarius Adiunctus reproponit animadversionem de dependentia Episcoporum auxiliarium ab Episcopo coadiutore.

Quidam Rev.mus Consultor censet verba « a sua dumtaxat auctoritate dependentes » in hoc canone expungenda esse; postea enim videbitur, quando agatur de Curia dioecesana, quomodo quaestiones de dependentia diversorum cooperatorum Episcopi dioecesani solvi possint, servatis quidem tum principio unitatis regiminis, tum etiam principio, a Synodo Episcoporum sancito, de divisione functionum in exercitio unius potestatis ecclesiasticae.

Obiicit tamen Rev.mus Secretarius Adiunctus verba « a sua dumtaxat auctoritate dependentes » manere debere, quia mens Concilii fuit ut Episcopi auxiliares ne pendeant a Vicario generali, qui sit presbyter.

Exc.mus Consultor, insistens, proponit ut deleatur saltem verbum « dumtaxat », ne praeiudicetur possibilis dependentia Episcopi auxiliaris ab Episcopo coadiutore saltem in quibusdam negotiis.

Fit adhunc parva discussio de hac quaestione, et denique, propONENTE Rev.mo Secretario Adiuncto ita exaratur textus § 2 in fine: « ... a sua dumtaxat auctoritate dependentes ad normam iuris » (eae vero determinationes iuridicae ponendae sunt in canonibus de Curia dioecesana).

Attenta materia de qua in hoc canone agitur, decernitur ut hic textus sit can. 4, qui nunc est can. 4 fit can. 5, et qui nunc est can. 5 fit can. 6.

Canon 7 (cfr. can. 355 C.I.C.)

Textus propositus ita sonat:

« § 1. Vacante sede episcopali, Episcopus coadiutor statim evadit Episcopus dioecesis, pro qua fuerat constitutus, dummodo possessionem legitime ceperit ad normam can. 2.

« § 2. Vacante sede episcopali, nisi aliud a competenti auctoritate statutum fuerit, Episcopus auxiliaris, usquedum novus Episcopus possessionem sedis ceperit, servat potestates et facultates omnes quibus sede plena, tamquam vicarius generalis vel tamquam vicarius episcopal, gaudebat; quod si ipse ad munus administratoris apostolici aut vicarii capitularis non fuerit designatus, eadem sua potestate, a iure

quidem collata, plena exerceat concordia cum administratore apostolico aut vicario capitulari, qui regimini dioecesis praeest.

« § 3. Cum novus Episcopus dioecesis possessionem legitime cernerit, auxiliares statim ad normam can. 6 § 2 constitutus vicarios generales aut episcopales ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus animadvertisit, quoad § 2, dici non posse Episcopum auxiliarem qui sit Vicarius generalis nominari debere vicarium capitularem. Haec tamen quaestio aptius consideranda est quando agatur de sede vacante, vel de Curia dioecesana.

Card. Praeses ponendum esse censet, in fine huius §: « exerceat sub auctoritate Administratoris apostolici aut Vicarii capitularis, qui ... ». Norma eadem manet, sed ita terminis magis iuridicis exprimitur.

His omnibus assentient Consultores.

Nulla alia fit emendatio, ideoque textus canonis recipitur uti iacet, cum supradicta correctione.

Canon 8

Haec est formula proposita:

« Episcopus coadiutor et auxiliaris obligatione tenentur, sicut ipse Episcopus dioecesanus, residendi in dioecesi; e qua, praeterquam implendi extra dioecesim alicuius officii ratione aut vacationis causa, nonnisi ad breve tempus, Episcopo dioecesano consentiente, discedant ».

Nulla fit animadversio et textus ab omnibus approbatur uti propositus est.

Canon 9

Formula proposita ita sonat:

« § 1. Episcopo coadiutori, ad renuntiationem ab officio quod attinet, applicatur praescriptum can. 33 § 2 (de Episcopis dioecesani).

« § 2. Episcopus auxiliaris qui septuagesimum quintum aetatis annum expleverit aut ob infirmam valetudinem aliquam gravem causam officio suo adimplendo minus aptus evaserit, monito Episcopo dioecesano, renuntiationem ab officio exhibeat Summo Pontifici, qui, omnibus inspectis adiunctis et auditio eodem Episcopo dioecesano, providebit ».

Evidenter — ait Rev.mus Secretarius Adiunctus, memorans quae in votis Consultorum dicuntur — omittenda est mentio Episcopi prorsus inhabilis, quae fit in can. 351 § 2 hodierni Codicis. Ipse enim

Episcopus dioecesanus renuntiationem exhibere debet. Eadem habetur res in casu Episcopi coadiutoris. Sed, quid in casu Episcopi auxiliaris?

Censem Rev.mus Secretarius Adiunctus, cui alii Consultores accedunt, rem esse diversam et eandem non valere normam quae datur pro renuntiatione Episcopi dioecesani vel Episcopi coadiutoris.

Quoad substantiam omnibus placet textus propositus, sed animadvertisit quidam Rev.mus Consultor quaedam etiam esse dicenda de congrua sustentatione atque, si id ipsi exoptent, de propria habitatione Episcopi coadiutoris et auxiliaris, ut habeant necessariam independentiam et autonomiam.

His accedit Exc.mus Consultor dicens eam esse rem magni momenti in America Latina, ubi plerique Episcopi coadiutores et auxiliares in conditionibus vivunt quae non congruunt cum eorum munere et dignitate episcopali.

Alii quoque Consultores cum his dictis concordant, sed cum de debita clericorum remuneratione modo generali agatur in canonibus de statu clericali, Rev.mus Secretarius Adiunctus sequentem textum proponit:

« Episcopi dioecesani est curare ut Episcopi coadiutoris et auxiliaris remunerationi prospiciatur ad normam can. 9 (de clericis), utque eorundem habitationi cum eorum dignitate et necessaria libertate congruente provideatur ».

Facta suffragatione hic textus, qui erit can. 9, ab omnibus approbat.

Canon 10

Sub hoc numero ponuntur quae proposita erant in praecedenti can. 9, addita tamen nova § 3, de conditione Episcoporum (coadiutoris vel auxiliaris), qui renuntiaverint.

Textus ergo huius canonis qui recipitur est sequens:

« § 1. Episcopo coadiutori, ad renuntiationem ab officio quod attinet, applicatur praescriptum can. 28 § 2 (de Episcopis dioecesanis).

« § 2. Episcopus auxiliaris qui septuagesimum quintum aetatis annum expleverit aut ob infirmam valetudinem aliquam gravem causam officio suo adimplendo minus aptus evaserit, monito Episcopo dioecesano, renuntiationem ab officio exhibeat Summo Pontifici, qui, omnibus inspectis adjunctis et auditio eodem Episcopo dioecesano, providebit.

« § 3. Episcopo coadiutori et auxiliari, quorum renuntiatio ab officio acceptata fuerit, applicatur praescriptum can. 29 (de Episcopis dioecesanis »).

III

DE VICARIIS GENERALIBUS ET EPISCOPALIBUS

Etiam de hac materia agendum est, uti patet, sub titulo generali « De cooperatoribus Episcopi dioecesani ».

Canones qui iuxta exoptata in votis Consultorum proponuntur uti basis disceptationis sunt sequentes:

Canon 1 (cfr. can. 366 C.I.C.)

« § 1. In unaquaque dioecesi constituendus est ab Episcopo dioecesano Vicarius generalis, qui potestate ordinaria ad normam canonum qui sequuntur instructus ipsum in universae dioecesis regimine adiuvet.

« § 2. Pro regula generali habeatur ut unus constituatur Vicarius generalis, nisi dioecesis amplitudo vel incolarum numerus aut aliae rationes pastorales aliud suadeant; Vicario generali absente aut impedito, Episcopus dioecesanus alium constituere potest, qui eius vices suppleat ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus animadvertisit obligationem constitutendi Vicarium generalem praceptivam esse. Rectum enim regimen dioecesis semper exigit, attento principio divisionis functionum in exercitio potestatis a Synodo Episcoporum sancito, ut habeatur Vicarius generalis cuius praesertim est activitati characteris administrativi praeesse.

Est Rev.mus Consultor qui laudat etiam § 2 strictiorem contineare normam (« pro regula generali ») quam can. 366 hodierni Codicis.

Rev.mus Consultor obiicit ad textum § 2 quod si rationes sunt pastorales magis forsitan congrueret ut non alias Vicarius generalis, sed Vicarius episcopalis aut Vicarii episcopales constituantur.

Respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus munus pastorale comprehendere tria munera, sive docendi et sanctificandi, sive etiam regendi (id est potestatem legislativam, administrativam et iudiciale).

Assentit Rev.mus Consultor qui supra, proponens ut Vicarius generalis substitutus detur ex regula ne propter absentiam Vicarii generalis, frequentem etsi non longam, negotia administrativa dilatentur.

Fit parva disceptatio de hac quaestione. Denique Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit, et accipitur ab aliis, ut expungantur ex hoc canone verba: « Vicario generali absente aut impedito, Episcopus dioecesanus alium constituere potest, qui eius vices suppleat ». Haec enim norma denuo perpendi debet, quando agatur de Curia dioecesana ordinanda.

Nulla alia animadversio fit, ideoque textus canonis approbatur cum supradicta emendatione.

Canon 2

« Quoties rectum dioecesis regimen id requirat, insuper constitui possunt ab Episcopo dioecesano unus vel plures Vicarii episcopales, qui nempe aut in determinata dioecesis parte aut in certo negotiorum genere aut quoad fideles determinati ritus certive personarum coetus, eadem gaudent potestate ordinaria quae iure communi Vicario generali competit ad normam canonum qui sequuntur ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus animadvertisit quod in Codice providebatur ad diversitatem Rituum etc., per Vicarios generales (cfr. can. 366 § 3), nunc autem, ubi non habeantur dioeceses personales providetur per Vicarios episcopales.

His omnes accedunt Consultores et, cum nulla animadversio fiat, textus approbatur uti propositus est.

Canon 3 (cfr. can. 366 § 2)

« Vicarius generalis et episcopalnis libere ab Episcopo dioecesano nominantur et ab ipso ad nutum revocari possunt, salvo praescripto can. 4 (de Episcopis coadiutore et auxiliari); Vicarius episcopalnis, qui non sit Episcopus auxiliaris, nominetur tantum ad tempus, in ipso constitutionis actu determinandum ».

Proponit Exc.mus Consultor ut, pro nominatione Vicarii generalis et episcopalnis, ponatur clausula « auditio Consilio presbyterali ». Scit Exc.mus difficultates quae ex hoc oriri possunt, sed revera agitur de re magni momenti pro regimine dioecesis.

Alter Exc.mus Consultor censet melius esse si Vicarius generalis nominetur ab Episcopo sine necessitate consulendi Consilium presbyterale: agitur enim de Episcopi Vicario non de Vicario presbyterii.

Obiicit Rev.mus Secretarius Adiunctus hanc rationem non valere quia Episcopus regit Ecclesiam particularem una cum presbyterio suo, uti dicitur in Decr. *Christus Dominus*, n. 11.

Intercedit Rev.mus quidam Consultor memorans omnes presbyteros esse cooperatores Ordinis episcopalis et haec est ratio propter quam dicitur « cum cooperatione presbyterii ». Hoc ergo tantum significat quod Consilium presbyterale Episcopum adiuvat, nihil aliud.

Fit suffragatio circa propositionem « audito Consilio presbyterali » et omnibus placet ut textus maneat sicuti est.

Rev.mus Consultor proponit denique, et facta suffragatione propositione admittitur, ut textus approbatus sit § 1 canonis, et tanquam § 2 hic ponantur verba quae prius erant in fine § 2 can. 1. Additur tamen « legitime » ante verbum « impedito ».

Ita ergo sonat § 2 huius canonis 3:

« Vicario generali vel episcopali absente aut legitime impedito, Episcopus diocesanus alium constituere potest, qui eius vices suppleat ».

Canon 4 (cfr. can. 367 C.I.C.)

« § 1. Vicarius generalis et episcopalis sint sacerdotes e clero dioecesano, annos nati non minus triginta, in theologia aut iure canonico doctores vel licentiati, vel saltem earum disciplinarum vere periti, sana doctrina, probitate, prudentia, ac rerum gerendarum experientia commendati.

« § 2. In dioecesi quae alicui religioni commissa fuerit, Vicarius generalis et episcopalis possunt eligi eiusdem religionis sacerdotes.

« § 3. Vicarii generalis vel episcopalis munus ne committatur canonico poenitentiario, aut Episci consanguineis, praesertim usque ad secundum gradum mixtum cum primo, aut, seclusa necessitate, parocho ceterisque curam animarum habentibus ».

Rev.mus Secretarius Adjunctus animadvertisit, quoad § 1, verba « e clero dioecesano » idcirco adhibita esse ut tales sacerdotes bene ab aliis distinguantur, qui sint sacerdotes saeculares extra-dioecesani, in ipsa dioecesi non incardinati.

Animadvertisit quoque Rev.mus Secretarius Adjunctus ordinem dicendorum mutandum esse, ita ut prius exigatur peritia in iure canonico quam in theologia. Attendendum est in casu non ad rationem dignitatis scientiae, sed ad eius utilitatem concretam. Proponit ergo, et ab omnibus recipitur, ut dicatur « in iure canonico aut theologia ».

Adest Exc.mus Consultor qui quaestionem movet de verbis « e clero dioecesano », quia excludendos esse non censet a munere Vicarii episcopalis sacerdotes saeculares extradioecesanos vel eos qui incardinati sunt alicui Associationi aut Instituto saeculari.

Parva habetur de hac re disceptatio; denique, proponente quodam Exc.mo Consultore, qui memorat peculiaria adiuncta dioecesum Americae Latinae, haec recipitur formula: « sacerdotes saeculares, prae aliis e clero dioecesis ».

His attentis quae de hoc canone dicta sunt sequens nova formula proponitur:

Canon 4

§ 1. Vicarius generalis et episcopalis sint sacerdotes annos nati non minus triginta, in iure canonico aut theologia doctores vel licentiati, vel saltem earum disciplinarum vere periti, sana doctrina, probitate, prudentia ac rerum gerendarum experientia commendati.

§ 2. Vicarius generalis sit sacerdos saecularis ipsius dioecesis pro qua constituitur; attamen, in dioecesi quae alicui religioni commissa fuerit, Vicarius generalis et episcopalis possunt eligi eiusdem religionis sacerdotes.

§ 3. Vicarius Episcopalis item eligatur sacerdos saecularis dioecesis pro qua constituitur; attamen, qui pro certo negotiorum genere, aut pro personis determinati ritus vel coetus constituitur, si id expedire videatur, potest eligi sacerdos alterius dioecesis aut religiosus.

§ 4. Vicarii generalis et episcopalis munus ne committatur canonico poenitentiario, aut Episcopi consanguineis usque ad secundum gradum mixtum cum primo, aut, seclusa necessitate, parocho ceterisve curam animarum habentibus.

Quoad § 1, quaerit quidam Exc.mus Consultor utrum diaconus possit esse Vicarius generalis necne.

Rev.mus Secretarius Adiunctus respondet id per se contingere posse, sed magis quidem expedire ut Vicarius generalis sit sacerdos.

Exc.mus Consultor postulat ut in § 2 dicatur « saecularis praesertim ipsius dioecesis ». Huic propositioni adhaeret unus e Consultoribus, sed aliis id necessarium non videtur.

Est Rev.mus Consultor qui hanc proponit additionem in ipsa § 2, ad mentem nonnullorum Consultorum: « ... constituitur, nisi vera necessitas aliud postulet ». Ita enim praevideatur casus dioecesum quae paucissimas habent vocaciones et in quibus Vicarii nominari solent qui ex aliis dioecesibus exterisve nationibus proveniunt. Additio proposita ab omnibus recipitur.

Exc.mus Consultor desiderat ut in eadem § 2 dicatur « presbyteri » loco « sacerdotes ».

Respondet tamen Rev.mus Secretarius Adiunctus hanc emendationem minus congruere, nam Episcopi coadiutores vel auxiliares possunt quoque esse Vicarii generales.

Placet § 3, addito tamen verbo « etiam », nempe: « potest etiam eligi ».

Denique animadvertisit idem Exc.mus Consultor se desiderare ut norma in fine § 4 statuta valeat tantum quoad Vicarium generalem, non autem quoad Vicarios episcopales, qui bene nominari possunt inter eos qui curam animarum exercent.

Huic animadversioni alii accedunt Consultores, quapropter Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit ut dicatur: « ... cum primo; Vicarii generalis munus, seclusa necessitate, ne committatur parocho ceterisve curam animarum habentibus ».

Facta suffragatione, emendatio recipitur.

Nulla alia fit animadversio, et textus huius canonis approbatur cum supradictis emendationibus.

Canon 5 (cfr. can. 368 C.I.C.)

« § 1. Vicario generali, vi officii, in universa dioecesi competit, in spiritualibus ac in temporalibus, potestas exsecutiva quae ad Episcopum dioecesanum iure ordinario pertinet, ad ponendos scilicet omnes actus administrativos, iis tamen exceptis quae Episcopus sibi reservaverit vel quae ex iure requirant speciale Episcopi mandatum.

« § 2. Vicario episcopali ipso iure eadem competit potestas de qua in § 1, sed quoad determinatam territorii partem aut negotiorum genus aut in fideles determinati ritus aut coetus tantum, pro quibus constitutus est, iis causis exceptis quas Episcopus sibi aut vicario generali reservaverit, aut quae ex iure requirunt speciale Episcopi mandatum.

« § 3. Ad Vicarium generalem atque ad Vicarium episcopalem, intra ambitum suaे competentiae, pertinent etiam facultates habituales ab Apostolica Sede Episcopo concessae, necnon rescriptorum exsecutio, nisi aliud expresse cautum fuerit aut electa fuerit industria personae Episcopi dioecesani ».

Dicit Rev.mus Secretarius Adiunctus in § 1 clare determinari officium Vicarii generalis, ponendi nempe omnes actos administrativos: ipse ergo potestatem non habet legislativam neque iudiciale. In novo autem Codice bene determinandum erit, iuxta optatum Synodi Episcoporum, quinam actus sint administrativi.

Paragraphi 1 et 2 sine animadversionibus approbantur.

Quoad § 3, animadvertisit Rev.mus Secretarius Adiunctus in Motu proprio *Ecclesiae Sanctae* id dici de Vicario episcopali, se tamen censere hanc normam pari ratione ad Vicarium generalem applicari posse. Qua in re omnes Consultores convenientiunt.

Circa eandem § 3, Rev.mus Secretarius Adiunctus explanat nunc agi de nudo ministerio aut de potestate delegata, dum in §§ 1 et 2 agitur de potestate executiva tantummodo.

Etiam § 3 sine animadversionibus approbatur.

Canon 6

« § 1. Vicarius generalis et Vicarius episcopalis omnia negotia gesta vel gerenda Episcopo dioecesano referre debent, nec umquam contra voluntatem et mentem Episcopi dioecesani agant, firmo praescripto can. 44 § 2. (Codicis).

« § 2. Ut concordi actioni pastorali in universa dioecesi atque disciplinae in eadem unitati prospiciatur, Vicarii generales et Vicari episcopales frequens cum Vicario generali qui caput est Curiae instituant colloquium, modis ab Episcopo dioecesano statutis (cfr. M.P. “ Ecclesiae sanctae ” I, n. 14 § 3) ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit ut in § 1 dicatur « praecipua negotia », loco « omnia negotia », sicut etiam legitur in Motu proprio « Ecclesiae Sanctae ». Emendatio recipitur.

Est Rev.mus Consultor qui mavult ut dicatur « negotia proprii officii », sed hoc aliis non videtur necessarium, quia subintelligitur in textu.

Quoad § 2, animadvertisit Rev.mus Secretarius Adiunctus verba « qui caput est Curiae » idcirco addita esse, ad mentem cuiusdam Consultoris, ut unitas actionis administrativaे obtineatur.

Quaerit quidam Consultor quid si adsit Episcopus auxiliaris qui rationem suarum actionum reddere debeat Vicario generali qui sit presbyter.

Huic animadversioni respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus iam provisum esse per canonem, ubi statuitur Episcopum auxiliarem, si ipse adsit, nominandum esse Vicarium generalem, quae norma clarius adhuc referenda est in canonibus de Curia dioecesana.

Denique proponit Rev.mus Secretarius Adiunctus et propositio recipitur, ut in ipsa § 2 dicatur « cum illo Vicario generali qui caput est Curiae ».

Nulla alia fit animadversio, et textus approbatur cum supradictis emendationibus.

Canon 7 (cfr. can. 371 C.I.C.)

« § 1. Expirat potestas Vicarii generalis et Vicarii episcopalnis renuntiatione ad normam canonum 183-191, itemque, salvis cann. 4 et 7 (de Episcopis coadiutoribus et auxiliaribus), revocatione eidem ab Episcopo dioecesano intimata et Sedis episcopalnis vacatione.

« § 2. Suspenso munere Episcopi dioecesani suspenditur potestas Vicarii generalis et Vicarii episcopalnis, nisi sint Episcopus coadiutor aut auxiliaris (vel: nisi episcopali dignitate aucti sint) ».

Consultoribus magis placet altera formula proposita in textu § 2, in fine, quae ideo ita approbatur.

Exc.mus quidam Consultor quaestionem admovet de Vicario capitulari: a Concilio enim statutum est ut, vacante sede episcopali, vel nominetur Administrator apostolicus vel ad munus Vicarii capitularis designetur Episcopus auxiliaris: non quidem ipso iure, quia Concilium id expressit tanquam desiderium. Haec tamen quaestio perpendenda est ubi agatur de sedis episcopalnis vacatione.

Nulla alia fit animadversio, ideoque textus huius canonis approbatur cum supradicta emendatione in § 2.

Demum Rev.mus Secretarius Adiunctus quaestionem proponit de can. 370 hodierni Codicis: utrum expediat necne ut haec norma transferatur in appendicem futuri Codicis, ubi de praecedentia agendum est.

Propositio haec omnibus placet.

His ergo peractis, cum nulla alia quaestio sit perpendenda, preces de more dicuntur, et huic Vae Sessioni Coetus studii « De Sacra Hierarchia » finis imponitur.

Romae, die 21 decembris 1968.

I. HERRANZ, *Actuarius*

II

TEXTUS IN HAC SESSIONE RECOGNITI ET APPROBATI

I
DE EPISCOPIS IN GENERE

Canon 1

§ 1. Episcopi, qui ex divina institutione in Apostolorum locum succedunt, per Spiritum Sanctum qui datus est eis, in Ecclesia Pastores constituuntur ut sint et ipsi doctrinae magistri, sacri cultus sacerdotes et gubernationis ministri (cfr. Const. *Lumen gentium*, nn. 19-20; Decr. *Christus Dominus*, n. 2; canon 35 schematis Legis fundamentalis).

§ 2. Episcopi ipsa consecratione episcopali recipiunt, cum munere sanctificandi, munera quoque docendi et regendi, quae tamen natura sua nonnisi in hierarchica communione cum Collegii Capite et membris exercere possunt (Const. *Lumen gentium*, n. 21).

Canon 2

§ 1. Hoc suum episcopale munus Episcopi, sollicitudinibus omnium Ecclesiarum participes, in communione et sub auctoritate Summi Pontificis exercent, ad magisterium et regimen pastorale quod attinet, omnes uniti in Collegio seu corpore, quoad universam ecclesiam.

§ 2. Illud exercent singuli quoad assignatas sibi domicini gregis partes, unusquisque Ecclesiae particularis sibi commissae curam gerens, aut quandoque aliqui coniunctim necessitatibus quibusdam diversarum Ecclesiarum communibus providentes, ad normam sacrorum canonum (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 22; Decr. *Christus Dominus*, n. 4).

Canon 3

Episcopi sunt aut *dioecesani*, quibus scilicet alicuius dioecesis cura commissa est, aut *titulares*, quibus nempe dioecesis non est concredita, sed qui officium coadiutoris vel auxiliaris in certa dioecesi explent aut alia munia in bonum sive alicuius portionis populi Dei sive diversarum Ecclesiarum particularium sive etiam universae Ecclesiae adimplent.

Canon 4

§ 1. Episcopos libere nominat Summus Pontifex, aut legitime electos confirmat.

§ 2. De viris ecclesiasticis ad Episcopatus officium in proprio territorio aptioribus, communi consilio et secreto, quotannis agant singulae Episcoporum Conferentiae regionum ecclesiasticarum, elenco quidem nominum ab Episcopis dioecesanis singularum provinciarum ecclesiasticarum regionis proposito, itemque Episcoporum Conferentiae provinciarum ecclesiasticarum quae alicui regioni non sunt adscriptae, atque nomina virorum delectorum Apostolicae Sedi transmittant.

§ 3. Nisi aliter pro certis regionibus legitime provisum fuerit, quoties nominandus est Episcopus dioecesanus, itemque quoties designandus est Episcopus coadjutor, Episcopi dioecesani provinciae ecclesiasticae in qua sita est dioecesis de qua agitur elenchem componant trium saltem virorum ecclesiasticorum qui ad hoc officium episcopale magis idonei videantur, illudque transmittant Consilio permanenti regionis, quod, voto suo addito, eundem Apostolicae Sedi transmittat; quem elenchem ut componant, Episcopi provinciae, si id expedire iudicent, de necessitatibus dioecesis deque dotibus specialibus personae ad officium episcopale in ea dioecesi implendum requisitis certorum presbyterorum, immo vel laicorum sapientia praestantium, secreto sententiam exquirere possunt.

§ 4. Nisi aliter legitime provisum fuerit, Episcopus dioecesanus qui auxiliarem suae dioecesi dandum aestimet, elenchem proponat trium saltem presbyterorum ad hoc officium aptiorum; quem elenchem, si tantummodo nomina contineat virorum ab Episcoporum Conferentia ad normam § 2 probata, ad Apostolicam Sedem transmittat; si alia nomina complectatur, eundem mittat ad Episcoporum Conferentiae Consilium permanens, quod, voto suo addito (vel: existimatione sua addita) eum Apostolicae Sedi transmittat.

§ 5. Nulla in posterum iura et privilegia electionis, nominationis, praesentationis vel designationis Episcoporum civilibus auctoritatibus concedantur (cfr. Decr. *Christus Dominus*, n. 20).

Canon 5

§ 1. Episcopus officium sibi commissum assumit missione canonica, qua quidem sacra quam episcopali consecratione recepit potestas ad officium sibi concreditum implendum fit expedita.

§ 2. Missio canonica fieri potest per legitimas consuetudines, a suprema et universalis Ecclesiae potestate non revocatas, vel per leges ab eadem auctoritate latae aut agnitas, vel directe per ipsum Summum Pontificem, quo renuente seu communionem apostolicam denegante, Episcopi in officium assumi nequeunt (*Const. Lumen gentium*, n. 24).

§ 3. Ante canonicam missionem collatam, candidatus fidei professionem emittat de qua in cann. 1406-408, atque iusurandum fidelitatis erga Apostolicam Sedem edat, secundum formulam ab eadem Apostolica Sede probatam.

Canon 6

§ 1. Ut quis idoneus ad officium Episcopi habeatur, requiritur ut sit:

- 1) natus legitimus aut per subsequens parentum matrimonium legitimatus;
- 2) annos natus saltem triginta quinque;
- 3) a quinquennio saltem in presbyteratus ordine constitutus;
- 4) bonis moribus, pietate, animarum zelo, sapientia, prudentia et iis quoque quas homines magni faciunt virtutibus humanis excellens, ceterisque dotibus praeditus quae ipsum aptum efficiunt ad officium de quo agitur explendum;
- 5) laurea doctoris vel saltem licentia in Sacra Scriptura, Sacra Theologia aut iure canonico potitus in Instituto Studiorum a Sede Apostolica probato, vel saltem in iisdem disciplinis vere peritus.

§ 2. Iudicium definitivum de promovendi idoneitate ad Apostolicam Sedem pertinet.

Canon 7

Nisi legitimo detineatur impedimento, quicumque ad Episcopatum promotus debet intra tres menses ab acceptis apostolicis litteris consecrationem episcopalem recipere, et quidem antequam officii sui possessionem capiat.

Canon 8

§ 1. A recepta consecratione episcopali, Episcopi sive dioecesani sive titulares facultatibus gaudent de quibus in can. 239, § 1, nn. 4, 5, 6, 7-12, itemque facultatibus:

- 1) Verbum Dei ubique terrarum praedicandi, nisi loci Ordinarius expresse renuerit;
- 2) Confessiones fidelium, etiam religiosarum, ubique terrarum audiendi, nisi loci Ordinarius expresse renuerit;
- 3) Fideles quoslibet ubique absolvendi in actu sacramentalis confessionis ab omnibus censuris, etiam reservatis, exceptis tamen: *a*) censuris ab homine; *b*) censuris specialissimo modo Apostolicae Sedi reservatis; *c*) censuris quae adnexae sunt revelationi secreti pontificii; *d*) excommunicatione qua plectuntur sacerdotes omnesque cum illis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes et actu simul conviventes;
- 4) Sanctissimam Eucharistiam in suo oratorio asservandi, dummodo legum liturgicarum praescripta rite serventur;
- 5) Missam celebrandi iusta de causa qualibet diei hora, et Communionem etiam vespere distribuendi, servatis de cetero servandis;
- 6) Deferendi insignia episcopalia, servatis quidem legibus liturgicis.

§ 2. Praedictas facultates Episcopi retinent, etiamsi ab omni munere cessaverint.

II
DE EPISCOPIS DIOECESANIS

Canon 1

Episcopus dioecesanus, cui nempe alicuius Ecclesiae particularis cura commissa est, in communione hierarchica cum Capite et membris Collegii Episcoporum, tanquam proprius, ordinarius et immediatus eius pastor, populum sibi concreditum in nomine Domini pascit, munus docendi, sanctificandi et regendi, in eum exercens, ad normam iuris.

Canon 2

§ 1. Episcopus promotus in exercitio officii sibi commissi, neque per se neque per alios, nec ullo titulo, sese ingerere potest, nisi prius dioecesis canonicam possessionem coeperit; qui vero ante suam ad officium Episcopi dioecesani promotionem, in eadem dioecesi vicarius capitularis, officialis, oeconomus fuerit renuntiatus, haec officia retinet et exercere potest; item, nisi aliud a competenti auctoritate statutum fuerit, qui ante promotionem suam episcopus auxiliaris in eadem dioecesi fuerit, potestates et facultates, quibus uti vicarius generalis aut episcopalis, instructus fuit ad normam can. ..., retinet et exercere potest.

§ 2. Nisi legitimo detineatur impedimento, promotus ad officium Episcopi dioecesani debet canonicam suae dioecesis possessionem capere, si non iam sit consecratus Episcopus intra quattuor menses a receptis apostolicis litteris, si iam sit consecratus intra duos menses ab eisdem receptis.

§ 3. Canonicam dioecesis possessionem capit Episcopus, simul ac in ipsa dioecesi, per se vel per procuratorem, apostolicas litteras Capitulo cathedrali ostenderit, praesente secretario Capituli aut cancellario Curiae, qui rem in acta referat, aut, in dioecesibus noviter erectis, simul ac clero populoque in ecclesiae cathedrali praesenti earundem litterarum communicationem procuraverit, presbytero inter praesentes seniore acta referente.

Canon 3

Episcopo dioecesano in dioecesi sibi commissa per se omnis competit potestas ordinaria, propria et immediata, quae ad exercitium eius munieris pastoralis requiritur, iis exceptis in causis quae ipso iure aut particulari Summi Pontificis decreto supremae aut alii auctoritati ecclesiasticae reserventur.

Canon 4

§ 1. In exercendo suo munere pastoris, Episcopus dioecesanus sollicitum se praebat erga omnes christifideles qui suae curae committuntur, cuiusvis sint aetatis, conditionis vel nationis, tum in territorio habitantes tum in eodem ad tempus versantes, animum intendens etiam ad eos qui ob vitae suae conditionem ordinaria parochorum cura non satis frui valent atque eos qui a religionis praxi defecerunt.

§ 2. Erga fratres seiunctos in dioecesi versantes cum humanitate et caritate semper se gerat, oecumenismum quoque, ut ab Ecclesia intelligitur, quam maxime fovens (Decr. *Christus Dominus*, n. 16).

§ 3 Commendatos sibi etiam habeat non baptizatos, ut et ipsis caritas eluceat Christi, cuius coram omnibus testis esse debet Episcopus (cfr. Decr. *Christus Dominus*, n. 16).

Canon 5

Peculiari sollicitudine prosequatur presbyteros suos, ad quos audiendos semper se paratum ostendat, eorum iura tutetur, et curet ut ipsis obligationes suo statui proprias rite adimpleant atque ut ipsis praesto sint quibus ad vitam spiritualem et intellectualem fovendam egent media et institutiones; item ut, secundum praescripta Episcoporum Conferentiae regionis, eorundem honestae sustentationi atque praevidentiae sociali prospiciatur.

Canon 6

Vocationes sacerdotiales et religiosas quam maxime foveat, speciali cura vocationum missionalium adhibita.

Canon 7

Laicorum dignitatem atque propriam quam in missione Ecclesiae habent partem agnoscat et promoveat, eos de propriis obligationibus monens atque iura quae ipsis in Ecclesia competunt tuens (Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 9).

Canon 8

§ 1. Episcopus dioecesanus, quippe qui fidelium suae curae commissorum authenticus sit fidei doctor et magister, ipsis veritates fidei credendas et moribus applicandas proponere et illustrare tenetur, per se ipse frequenter praedicans, utcumque doctrinam aliis quae praesto sunt mediis et instrumentis promovens; curet etiam ut praescripta canonum de ministerio verbi, de homilia praesertim et catechetica iuvenum institutione sedulo serventur.

§ 2. Cum omnium Ecclesiarum una cum ceteris Episcopis sit sponsor, adiutricem operam praestare tenetur ut verbum Dei omnibus gentibus nuntietur (cfr. Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 23; Decr. *Christus Dominus*, nn. 6-16).

§ 3. Integritatem et unitatem fidei credendae firmiter tueatur, libertatem autem in veritatibus ulterius perscrutandis agnoscens, nec quaestiones de quibus periti legitime inter se dissentient dirimens.

Canon 9

Episcopus dioecesanus omni ope promovere studeat sanctitatem christifidelium, secundum uniuscuiusque propriam vocationem, atque, cum sit praecipuus mysteriorum Dei dispensator, iugiter adniti tenetur ut christifideles suae curae commissi Sacramentorum receptione in gratia crescant utque praesertim paschale mysterium penitus cognoscant et vivant (cfr. Decr. *Christus Dominus*, n. 15).

Canon 10

§ 1. Episcopus dioecesanus, post captam dioecesis possessionem, debet singulis diebus dominicis aliisque diebus festis in sua regione de praecepto, Missam pro populo sibi commisso applicare.

§ 2. Episcopus Missam pro populo diebus de quibus in § 1 per se ipse celebrare et applicare debet; si vero ab hac celebratione legitime impediatur, iisdem diebus per alium, vel aliis diebus per se ipse applicet.

§ 3. Episcopus cui praeter propriam dioecesim aliae, titulo etiam administrationis, sunt commissae, obligationi satisfacit unam Missam pro universo populo sibi commisso applicando.

§ 4. Episcopus qui obligationi de qua in §§ superioribus non satisfecerit, quamprimum pro populo tot Missas applicet quot omisit.

Canon 11

§ 1. Episcopi dioecesani invigilare debent ut vita liturgica in Ecclesia sibi commissa quam maxime foveatur, atque ordinetur secundum praescripta Apostolicae Sedis atque Episcoporum Conferentiae regionis (cfr. Decr. *Christus Dominus*, n. 15; Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 20).

§ 2. Frequenter praesint in ecclesia cathedrali aliave ecclesia sua dioecesis cultui liturgico, praincipue Eucharistico, in festis praesertim de pracepto aliquis sollemnitatibus in quibus partem habet notabilis populi pars (cfr. Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 41).

Canon 12

§ 1. Episcopus dioecesanus in universa sua dioecesi, ne exceptis quidem locis exceptis, pontificalia exercere potest; non vero extra propriam dioecesim sine expresso vel saltem rationabiliter praesumpto Ordinarii loci consensu, et, si de ecclesia exempta agatur, de licentia Superioris localis.

§ 2. Exercere pontificalia in iure est sacras peragere functiones quae ex legibus liturgicis requirunt insignia pontificalia, idest baculum et mitram.

Canon 13

§ 1. Episcopo dioecesano officium est et ius regendi Ecclesiam particularem sibi commissam tum in spiritualibus tum in temporalibus, ad normam sacrorum canonum.

§ 2. Ipsi omnis competit quae ad regimen dioecesis exercendum requiritur potestas, tum legislativa, tum exsecutiva et iudicialis, iis exceptis in causis quae ad normam iuris auctoritati Ecclesiae supremae aliive auctoritati reservantur.

§ 3. Potestatem legislativam exercet ipse episcopus sive in Synodo dioecesana sive extra eandem; potestatem exsecutivam exercet sive per se sive per vicarios generales aut episcopales, ad normam iuris; potestatem iudicialem sive per se sive per Officiale et iudices ad normam iuris constitutos.

Canon 14

§ 1. Ecclesiae universae unitatem cum tueri debeat, Episcopus disciplinam cunctae Ecclesiae communem promovere et ideo obser-

vantiam omnium legum ecclesiasticarum urgere tenetur (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 23).

§ 2. Advigilet ne abusus in ecclesiasticam disciplinam irrepant, praesertim circa administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, cultum Dei et Sanctorum, ministerium verbi et piarum voluntatum implementum.

Canon 15

§ 1. Episcopus dioecesanus in disciplinaribus legibus universalibus Ecclesiae, quae bonum spirituale fidelium directe intendunt, tum praeceptivis et prohibitivis, tum irritantibus et inhabilitantibus, dispensare valet, in casibus particularibus, fideles in quos ad normam can. (de dispensationibus) auctoritatem exercet, quoties id ad eorundem bonum spirituale conferre iudicet, firmis praescriptis canonum ... (de dispensationibus) et salvo praescripto § 2.

§ 2. Dispensare nequit in legibus in quibus iuris praescripto vel decreto particulari dispensatio Apostolicae Sedi aliive auctoritati specialiter reservatur.

Canon 16

In omnibus negotiis canonicis Episcopus personam gerit dioecesis.

Canon 17

§ 1. Episcopus dioecesanus, attentis normis ab Apostolica Sede et ab Episcoporum Conferentia statutis, in dioecesi erigat Consilium presbyterale et, quantum adiuncta id sinant, etiam Consilium pastoreale, iuxta normas canonum ...

§ 2. Episcopi est curare ut actiones Consilii presbyteralis, Consilii pastoralis atque aliorum quae legitime in dioecesi aut paroecia consti-tuantur consiliorum rite coordinentur.

Canon 18

§ 1. Varias apostolatus rationes in dioecesi foveat Episcopus, atque curet ut, servatis quidem personarum physicarum et moralium iuribus propriis, in universa dioecesi, vel in eiusdem particularibus districtibus, omnia apostolatus opera sub suo moderamine coordinentur (Decr. *Christus Dominus*, n. 17).

§ 2. Urgeat officium quo tenentur fideles ad apostolatum pro sua cuiusque condicione et aptitudine exercendum, atque ipsis commendet ut varia opera laicorum apostolatus, secundum necessitates loci et temporis, participant et iuvent.

Canon 19

Consociationes fidelium quae finem spiritualem directe aut indirecte persequuntur promoveat, eas, ubi id expediat, erigendo, atque quas fideles libera inter se conventione inita legitime condunt et moderantur fovendo et sustinendo (Cf. Decr. *Christus Dominus*, n. 17).

Canon 20

Curet etiam ut omnia incepta atque instituta catechetica, missionaria, caritativa, socialia, familiaria, scholastica, atque quaelibet alia finem pastoralem persequentia, ad concordem redigantur actionem (Cf. Decr. *Christus Dominus*, n. 17).

Canon 21

§ 1. Episcopus dioecesanus, etiamsi coadiutorem aut auxiliarem habeat, tenetur lege personalis in dioecesi residentiae.

§ 2. Praeterquam causa visitationis Sacrorum Liminum, vel Conciliorum, Episcoporum Synodi, Episcoporum Conferentiae, quibus interesse debet, vel civilis officii Ecclesiae suae legitime adjuncti, a dioecesi aequa de causa abesse potest non ultra duos intra annum menses, sive continuos sive intermissos, dummodo cautum sit ne ex eius absentia dioecesis quidquam detrimenti capiat; absentiam coniungere non potest sive cum absentia ratione sua promotionis, vel visitationis Sacrorum Liminum, vel adstantiae Concilio, Synodo aut Conferentiae, sive cum absentia vacationis causa anni subsequentis.

§ 3. A dioecesi ne absit diebus Nativitatis, Resurrectionis Domini et Hebdomadae Sanctae, Pentecostes et Corporis Christi, nisi ex gravi urgentique causa.

§ 4. Si ultra sex menses e dioecesi illegitime abfuerit, Episcopum Metropolita, ad normam can. 274, n. 4, Metropolitam antiquior Suffraganeus Sedi Apostolicae denuntiet.

Canon 22

§ 1. Ad sanam et orthodoxam doctrinam servandam, bonos mores tuendos et pravos corrigendos, caritatem, pietatem et disciplinam in populo et clero promovendam, apostolatum fovendum ceteraque pro ratione adiuncitorum ad bonum religionis constituenda, tenetur Episcopus obligatione dioecesis vel ex toto vel ex parte quotannis visitandae, ita ut singulis saltem quinquenniis universam dioecesim, vel ipse per se, vel, si legitime fuerit impeditus, per Episcopum coadiutorem, aut per auxiliarem, aut per Vicarium generalem vel episcopalem, aut per alium presbyterum lustret.

§ 2. Fas est Episcopo sibi eligere quos maluerit clericos in visitaione comites atque adiutores, reprobato quocumque contrario privilegio vel consuetudine.

§ 3. Si obligationi de qua in § 1 Episcopus graviter defuerit, servetur praescriptum can. 274, nn. 4, 5.

Canon 23

§ 1. Ordinariae episcopali visitationi obnoxiae sunt personae, instituta catholica, res et loca pia, quae intra dioecesis ambitum continentur, nisi probari possit specialem ipsis a visitatione exemptionem ab Apostolica Sede fuisse concessam.

Canon 24

Visitator, in iis quae obiectum et finem visitationis respiciunt, paterna forma procedere debet, et ab eius praexceptis ac decretis datur recursus in devolutivo tantum; in aliis vero causis, etiam tempore visitationis, Episcopus ad normam iuris procedat necesse est.

Canon 25

Studeat Episcopus debita cum diligentia pastoralem visitationem absolvere; caveat ne superfluis sumptibus cuiquam gravis onerosusve sit, neve ratione visitationis ipse aut quisquam suorum pro se suisve dona quodvis genus petat aut accipiat, reprobata quavis contraria consuetudine.

Canon 26

§ 1. Omnis Episcopus dioecesanus tenetur singulis quinquenniis relationem Summo Pontifici exhibere super statu dioecesis sibi commissae, secundum formam ab Apostolica Sede datam.

§ 2. Quinquennia sunt fixa, atque pro Episcopis singularum regionum ecclesiasticarum ab Apostolica Sede determinantur.

§ 3. Si annus pro exhibenda relatione determinatus ex toto vel ex parte inciderit in primum biennium ab inito dioecesis regimine, Episcopus pro ea vice a confiencia et exhibenda relatione abstinere potest.

Canon 27

§ 1. Omnis Episcopus dioecesanus, eo anno quo relationem Summo Pontifici exhibere tenetur, nisi aliter ab Apostolica Sede decisum fuerit, ad Urbem, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli sepulchra veneratrus, accedat et Romano Pontifici se sistat.

§ 2. Episcopus praedictae obligationi per se ipse satisfacere debet, nisi legitime sit impeditus; quo in casu eidem statuto tempore satisfaciat per coadiutorem, si quem habeat, vel auxiliarem, aut per idoneum sacerdotem sui presbyterii, qui in sua dioecesi resideat.

Canon 28

§ 1. Episcopi dioecesani aliique ipsis iure aequiparati, qui septuagesimum quintum aetatis annum expleverint debent renuntiationem ab officio exhibere Summo Pontifici, qui omnibus singulorum casuum inspectis adjunctis, providebit (*M.P. Ecclesiae Sanctae*, n. 11).

§ 2. Enixe rogantur Episcopi dioecesani, qui ob infirmam valetudinem aliamve gravem causam officio suo adimplendo minus apti evaserint, ut vel sua ipsi sponte vel a competenti Auctoritate invitati, renuntiationem ab officio exhibeant (*Decr. Christus Dominus*, n. 21).

Canon 29

§ 1. Episcopus, cuius renuntiatio ab officio acceptata fuerit, titulum emeriti suaे dioecesis retinet, atque habitationis sedem aliquam, si id exoptet, in ipsa dioecesi servare potest, nisi in certis casibus ob specialia adjuncta ab Apostolica Sede aliter provideatur.

§ 2. Episcoporum Conferentiae regionis curare debent ut congruae et dignae Episcopi renuntiantis sustentationi provideatur, attenta quidem primaria obligatione qua tenetur ipsa dioecesis cui inservivit.

III

DE EPISCOPIS COADIUTORIBUS ET AUXILIARIBUS

Canon 1

§ 1. Cum bonum dioecesis id suadeat, si nempe ob dioecesis amplitudinem vel magnum incolarum numerum, aut ob peculiaria apostolatus adiuncta aliasve rationes, Episcopus dioecesanus per semetipsum omnia episcopalia munia, sicut animarum id exigat bonum, adimplere nequeat, unus vel plures Episcopi auxiliares, scilicet sine iure successionis, constituantur.

§ 2. Cum certis in adiunctis peculiaris dioecesis necessitas id postulet, in Episcopi dioecesani item adiutorium, Episcopus coadiutor, scilicet cum iure successionis, constituatur.

§ 3. Prout animarum bonum id exigat, ipse Episcopus dioecesanus expostulet ut constituantur unus vel plures Episcopi auxiliares, aut, si peculiaria adiuncta id requirant, Episcopus coadiutor (*Decr. Christus Dominus*, nn. 25-26).

Canon 2

§ 1. Episcopus coadiutor officii sui possessionem capit, cum litteras apostolicas nominationis, per se vel per procuratorem, ostenderit Episcopo dioecesano atque Capitulo cathedrali, praesente secretario eiusdem Capituli aut secretario Curiae, qui rem in acta referat.

§ 2. Episcopus auxiliaris officii sui possessionem capit, cum litteras apostolicas nominationis ostenderit Episcopo dioecesano, praesente secretario Curiae, qui rem in acta referat.

Canon 3

Episcopus coadiutor obligationes habet et iura, quae in litteris apostolicis suaे constitutionis definiuntur; praeterea obligationes et iura habent tum Episcopus coadiutor tum Episcopus auxiliaris quae determinantur praescriptis canonum qui sequuntur.

Canon 4

§ 1. Episcopus coadiutor ab Episcopo dioecesano Vicarius generalis semper constituantur (*Decr. Christus Dominus*, n. 26); insuper ipsi praeterea aliis Episcoporum dioecesanorum committat quae ex iure mandatum speciale requirant.

§ 2. Nisi in litteris apostolicis aliud provisum fuerit, Episcopus dioecesanus auxiliarem vel auxiliares suos constitutus Vicarios generales aut saltem Vicarios episcopales, a sua dumtaxat auctoritate dependentes ad normam iuris (*Decr. Christus Dominus*, n. 26).

Canon 5

§ 1. Episcopus coadiutor et Episcopus auxiliaris, quippe qui in partem sollicitudinis Episcopi dioecesani vocati sint, munia sua ita exerceant ut in negotiis gerendis unanimi consensione cum ipso procedant (*Decr. Christus Dominus*, n. 25).

§ 2. Episcopus dioecesanus, in perpendendis causis maioris momenti, praesertim indolis pastoralis, Episcopum coadiutorem et Episcopum auxiliarem consulat (*Decr. Christus Dominus*, n. 26).

Canon 6 (351 § 4)

§ 1. Episcopus coadiutor et Episcopus auxiliaris, iusto impedimento non detenti, tenentur, quoties ab Episcopo dioecesano fuerint requisiti, pontificalia et alias functiones obire, ad quas Episcopus dioecesanus teneretur.

§ 2. (can. 351 § 3). Quae episcopalia iura et functiones Episcopus coadiutor aut auxiliaris potest et vult exercere, Episcopus dioecesanus habitualiter alii ne committat.

Canon 7 (355)

§ 1. Vacante sede episcopali, Episcopus coadiutor statim evadit Episcopus dioecesis, pro qua fuerat constitutus, dummodo possessionem legitime ceperit ad normam can. 2 (353).

§ 2. Vacante sede episcopali, nisi aliud a competenti auctoritate statutum fuerit, Episcopus auxiliaris, usquedum novus Episcopus possessionem sedis ceperit, servat potestates et facultates omnes quibus sede plena, tamquam Vicarius generalis vel tamquam Vicarius episcopalis, gaudebat; quod si ipse ad munus Administratoris apostolici aut

Vicari capitularis non fuerit designatus, eadem sua potestate, a iure quidem collata, exerceat sub auctoritate Administratoris apostolici aut Vicarii capitularis, qui regimini diocesis praeest.

§ 3. Cum novus Episcopus dioecesis possessionem legitime ceperit, auxiliares statim ad normam can. 4 § 2 constitutus Vicarios generales aut episcopales.

Canon 8

Episcopus coadiutor et auxiliaris obligatione tenentur, sicut ipse Episcopus dioecesanus, residendi in dioecesi; e qua, praeterquam implendi extra dioecesim alicuius officii ratione aut vacationis causa, non nisi ad breve tempus, Episcopo dioecesano consentiente, discedant.

Canon 9

« Episcopi dioecesani est curare ut Episcopi coadiutoris et auxiliaris remunerationi prospiciatur ad normam can. 9 (de clericis), utque eorumdem habitationi cum eorum dignitate et necessaria libertate congruente provideatur ».

Canon 10

§ 1. Episcopo coadiutori, ad renuntiationem ab officio quot attinet, applicatur praescriptum can. 28 § 2 (de Episcopis dioecesani).

« § 2. Episcopus auxiliaris qui septuagesimum quintum aetatis annum expleverit aut ob infirmam valetudinem aliamve gravem causam officio suo adimplendo minus aptus evaserit, monito Episcopo dioecesano, renuntiationem ab officio exhibeat Summo Pontifici, qui, omnibus inspectis adjunctis et auditio eodem Episcopo dioecesano, providebit.

« § 3. Episcopo coadiutori et auxiliari, quorum renuntiatio ab officio acceptata fuerit, applicatur praescriptum can. 29 (de Episcopis dioecesani).

IV

DE VICARIIS GENERALIBUS ET EPISCOPALIBUS

Canon 1 (cfr. can. 366 C.I.C.)

§ 1. In unaquaque dioecesi constituendus est ab Episcopo dioecesano Vicarius Generalis, qui potestate ordinaria ad normam canonum qui sequuntur instructus ipsum in universae dioecesis regimine adiuvet.

§ 2. Pro regula generali habeatur ut unus constituatur Vicarius generalis, nisi dioecesis amplitudo vel incolarum numerus aut aliae rationes pastorales aliud suadeant.

Canon 2

Quoties rectum dioecesis regimen id requirat, insuper constitui possunt ab Episcopo dioecesano unus vel plures Vicarii episcopales, qui nempe aut in determinata dioecesis parte aut in certo negotiorum genere aut quoad fideles determinati ritus certive personarum coetus, eadem gaudent potestate ordinaria quae iure communi Vicario generali competit ad normam canonum qui sequuntur.

Canon 3

§ 1. Vicarius generalis et episcopalibus libere ab Episcopo dioecesano nominantur et ab ipso ad nutum revocari possunt, salvo praescripto can. 4 (de Episcopis coadiutore et auxiliari); Vicarius episcopalibus, qui non sit Episcopus auxiliaris, nominetur tantum ad tempus, in ipso constitutionis actu determinandum.

§ 2. Vicario generali vel episcopali absente vel legitime impedito, Episcopus dioecesanus alium constituere potest, qui eius vices suppleat.

Canon 4

§ 1. Vicarius generalis et episcopalibus sint sacerdotes annos nati non minus triginta, in theologia aut iure canonico doctores vel licentiati, vel saltem earum disciplinarum vere periti, sana doctrina, probitate, prudentia ac rerum gerendarum experientia commendati.

§ 2. Vicarius generalis sit sacerdos saecularis ipsius dioecesis pro qua constituitur nisi vera necessitas aliud postulet; attamen, in dioecesi quae alicui religioni commissa fuerit, Vicarius generalis et episcopalibus possunt eligi eiusdem religionis sacerdotes.

§ 3. Vicarius episcopalibus item eligatur sacerdos saecularis dioecesis pro qua constituitur; attamen, qui pro certo negotiorum genere, aut pro personis determinati ritus vel coetus constituitur, si id expedire videatur, potest etiam eligi sacerdos alterius dioecesis aut religiosus.

§ 4. Vicarii generalis et episcopalibus munus ne committatur canonico poenitentiario, aut Episcopi consanguineis usque ad secundum gradum mixtum cum primo; Vicarii generalis munus, seclusa necessitate, ne committatur parocho ceterisve curam animarum habentibus.

Canon 5

§ 1. Vicario generali, vi officii, in universa dioecesi competit, in spiritualibus ac in temporalibus, potestas exsecutiva quae ad Episcopum dioecesanum iure ordinario pertinet, ad ponendos scilicet omnes actus administrativos, iis tamen exceptis quae Episcopus sibi reservaverit vel quae ex iure requirant speciale Episcopi mandatum.

§ 2. Vicario episcopali ipso iure eadem competit potestas de qua in § 1, sed quoad determinatam territorii partem aut negotiorum genus aut in fideles determinati ritus aut coetus tantum, pro quibus constitutus est, iis causis exceptis quas Episcopus sibi aut Vicario generali reservaverit, aut quae ex iure requirunt speciale Episcopi mandatum.

§ 3. Ad Vicarium generalem atque ad Vicarium episcopalem, intra ambitum suaे competenciae, pertinent etiam facultates habituales ab Apostolica Sede Episcopo concessae, necnon rescriptorum exsecutio, nisi aliud expresse cautum fuerit aut electa fuerit industria personae Episcopi dioecesani.

Canon 6

§ 1. Vicarius generalis et Vicarius episcopalibus praecipua negotia gesta vel gerenda Episcopo dioecesano referre debent, nec umquam contra voluntatem et mentem Episcopi dioecesani agant, firmo praescripto can. 44, § 2.

§ 2. Ut concordi actione pastorali in universa dioecesi atque disciplinae in eadem unitati prospiciatur, Vicarii generales et Vicarii

episcopales frequens cum illo Vicario generali qui caput est Curiae instituant colloquium, modis ab Episcopo dioecesano statutis (cfr. M.P. *Ecclesiae Sanctae I*, n. 14, § 3).

Canon 7

§ 1. Expirat potestas Vicarii generalis et Vicarii episcopalnis renuntiatione ad normam canonum 183-191, itemque, salvis cann. 4 et 7 (de Episcopis coadiutoribus et auxiliaribus), revocatione eidem ab Episcopo dioecesano intimata et Sedis episcopalnis vacatione.

§ 2. Suspenso munere Episcopi dioecesani suspenditur potestas Vicarii generalis et Vicarii episcopalnis, nisi episcopali dignitate aucti sint.